



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

3. De Relatione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

juramenta emissa sunt de materia subiecta potestati ipsorum, v.g. si servus, filius, uxor, &c. jurent dare alicui pecuniam, vel quid simile, quod afferat detrimendum, & incommodum rebus Patris, Viri, &c. poterunt hæc juramenta à Patre, vel Viro, &c. etiam nulla existente causa, rescindi: sic Layman *loc. cit. num. 2.* aliisque ab ipso cit. Ratio est, quia pecunia, quæ est materia prædicti juramenti, est in Patris, vel Viri potestate, de qua ipsi solum disponere, non alij possunt. Sic etiam Pontifex, vel Episcopus potest irritare juramenta suorum Clericorum de rebus pertinentibus ad sua beneficia, ad suas leges, ad sua statuta, &c. propter eandem rationem. Quod si prædicti filius, & servus jurent de suo peculio, quo forè independentem ab alio gaudent, certe non poterunt Pater, & Dominus, &c. irritare: quia ea pecunia non est sub Patris, Dominive potestate, ac dominio; & illud juramentum non est solum: ut supponimus, Deo præstitum, sed homini.

§. II. De Remissione.

1. **Q**uando is, in cujus favorem principaliter conceptum est juramentum, remittit obligationem, seu non acceptat promissionem; dicitur remittere juramentum.

Et quidem id non posse fieri, si juramentum est soli Deo præstitum, non est dubium; posse autem, si homini est præstitum, docet communis, & vera sententia, idque etiam sine causa, *cap. 1. de jurejur. cap. significavit de cens. cap. 2. de spons.* Ratio est, quia promissio, quamvis jurata semper tacitam imbibit conditionem: *Si alter vellet acceptare.*

2. Sed quid, si juramentum sit præstitum saltem secundario, homini, sed principaliter in Dei obsequium? v.g. si quis juret se datum centum pauperi ob ejus pauperiam intuitu, pauperis in Deum: se ducturum puellam, ut inopem, in Sanctissimæ Virginis obsequium, potestne pauper, vel puella etiam sine causa remittere?

Respondeo distinguendum sic esse: Vel in promissione signatus est pauper peculiaris, v.g. Petrus, vel non ita, sed pauper indeterminatus. Si signatus nominatus fuit, probabile est posse; si indeterminatus, certum mihi est non posse. Ratio prioris dicti est, quia juramentum, ut modò diximus, censetur semper habere tacitam illam conditionem: *Si is, de cujus commodo agitur, acceptavit, vel non remiserit*: at hoc juramentum dum designat pauperem, licet in Dei obsequium, verè de pauperis commodo agit; ergo is poterit remittere.

Ratio posterioris est, quia tunc nullus pauper jus in illam elemosynam acquirit, sed Deus; & sic ejusmodi juramentum voti rationem inducit; quod non nisi ab habente potestatem, de qua re *mox*, relaxandum venit.

3. Petes: Si quando ex conventionem partium prorogatur terminus juramento forè præfixus, cristine perjurus, qui alicui rem post illam prorogationem promissam non servet? v.g. si jurasti homini alicui intra mensem aliquid te facturum, & deinde is concedat tibi aliud mensem prorogationis; hoc alio finito, obligarisne rem promissam facere ex vi prædicti juramenti? Respondeo ita sentè: sic Suar. *lib. 2. de jur. cap. 3. Sanch. lib. 4. in Dec. c. 55. num. 6.* aliisque; quia remansit tota numero obligatio juramenti, & solum dilatio fuit quoad tempus. Id sæpe evenire in compositione notant Doctores, qui addunt, nisi in principio compromissi conventum sit, terminum posse prorogari ad secundum, v.g. mensem, non esse impossibile, absoluto primo mense finiti jurisdictionem compromissariorum; atque adeò in secundo mense non adesse amplius juramenti obligationem, nisi de novo emittatur. Ita Suar. *loc. cit. n. 14.* Sanch. *l. c. n. 10.* Castro Pal. *de jur. p. 14. n. 3.*

4. Dubitabit curiosus, An si quis aliquid juret principaliter in suum commodum, v.g. juret se iturum Romam ad obtinendum beneficium: se, cum sit pauper iturum ad accipiendam elemosynam à divite, & similia,

an, inquam, possit sibi ipse ejusmodi juramentum remittere, & consequenter Romanam licitè non adire, & elemosynam non recipere etiam sine causa.

Respondeo, Negat Abbas *c. quanto de Jurejur. n. 8.* his verbis: *Aut juramentum, respicit principaliter commodum hominis, & tunc sine causa Papa remittere non potest, sed cum causa, sic is tamen, de cujus commodo agitur remittere potest, quod procedit, etiam si juramentum concernit utilitatem utriusque contrahentium, ut quando aliqui jurant sibi ad invicem aliquid facere; (intellige quando id non fit intuitu divini servitij: sic Escobar in Tit. de leg. §. Hoc quoque.) Secus primo, ubi quis simpliciter juraret ad commodum suum, nam non poterit sibi remittere juramentum, ne auctorizet in facto proprio, nec alius poterit remittere sine causa, ut sentit Speculator. Hæc Abbas, quam sententiam sequitur est Suarez *lib. 2. de jur. cap. 12. numer. 24.* Abbatem tamen non citat.*

5. Sed profectò discrimen non inspicio, cur recipiens juramentum alterius in suum commodum remittere possit, non possit autem remittere recipiens juramentum suum; & mirabile mihi est Patri juranti se empturum equum, v.g. in commodum sui filij, licere non emere, filio remittente; at juranti se eundem empturum in commodum sui non licere, se volente, commodum illi renuntiare: Puto igitur propter paritatem rationis licet, neque id est auctorizare in facto proprio, sed sua sponte suam utilitatem negligere. Confirmatur, quia *supra, cap. 3. §. 5. num. 49.* docuimus ex Castro Pal. *om. 5. tract. 14. d. 2. p. 7. §. 2. num. 4. fin.* & sequitur Sanchez *lib. 3. in Dec. cap. 9. num. 15.* juramentum de non vendendo minores, posse remitti ab ipso jurante, quando in utilitatem propriam est emissum: ergo & universaliter, in casu nostro, &c.

Post hæc scripta, cum Pater Vincentius Tancreda amicus meus, suum utilissimum opus in *Suarium de Religione* permanentem mihi ostendisset, inveni ipsum hanc sententiam meam contra Sclarium hic amplecti. Profectò (ingenue loquor) amicorum ingenia, altero neciente de altero, in eandem sententiam conspirasse gavissus sum.

§. III. De Relaxatione.

1. **Q**uando, qui potestatem habet à juramento subditum absolvit, dicitur dispensare, seu magis propriè illud relaxare: nam id, quod in materia voti appellatur Dispensatio, hic propria voce vocatur Relaxatio. Porro tria nunc sunt exponenda. Primo, quænam juramenta. Secundo, à quonam Superiore. Tertiò, ob quas causas relaxari queant. Moneo tamen legenda etiam esse, quæ de dispensatione voti infra dicentur.

Quæ juramenta.

6. Uno verbo, relaxari queunt juramenta omnia soli Deo præstita, quæ diximus *cap. 3. §. 3. n. 7.* Arag. *l. 2. q. 88. art. 12. d. 3. dist. 1.* alios citans. Juramenta verò in utilitatem solius hominis præstita, si sint acceptata, à nemine, ne à summo quidem Pontifice (nisi forè dispensationem bonum commune exposceret) dispensantur; immò nec dispensari posse, docet rectè Cajetanus *l. 2. q. 89. art. 9.* & *supra, §. 2. num. 4.* docuit Abbas, quia nullus potest suo jure privari, acceptatio autem facit, ut ex justitia illi debeatur, quod juratum est. Dixi (in utilitatem solius hominis) nam si secus, vide *mox §. 5. n. 3.* & *c. 17. de Voto, ibidem citando.*

7. Si verò non sunt acceptata, etiam si fiant juramento publico, & coram testibus, poterit Superior ex causa dispensare, vel commutare. Lege Sanch. *in Dec. lib. 4. cap. 41. n. 6.* quia tunc solum adest vinculum Religionis, cui ex causa dispensare concessum est Superioribus; ut *mox* dicemus: ita Dian. Ledesm. Trullenc. apud Pellizzar. *in man. Reg. tract. 8. cap. 3. sect. 2. num. 159.* contra Sanch. & Suar. *ibid.* citatos: ut probabiliter accidit

Cap. VII. De Deobligatione à Iuramento. 131

In iuramento Deo principaliter, homini autem minus principaliter praestitis, de qua re *dist. cap. 17. de Voto*, dicimus: & ut certo accidit in iuramento per injuriam à la- mine extorto, & similibus, quia pati modo tunc non potest vinculum iustitiae, sed solius Religionis: immo ad hoc vinculum iustitiae sufficiens est cautela ad dis- pensandum mox dicemus. An Acceptatio praedicta legi- tima sit à Notario, vel ab aliis, non est disputatio huiusmodi: vide tamen fusi apud Merollam *tom. 1. dist. 1. cap. 2. à num. 87. 1.* & de Notario à *num. 88. 5.*

4. Sunt praeterea aliqua iuramenta, ad quae rela- tionem, quia saltem vix datur causa dispensandi possunt vocari indispensabilia: ejusmodi est iuramentum, & vo- tatum annuum professioni Fidei; & ejusmodi etiam esse- re iuramentum, quo quis professionem Religiosam, Ma- gisterium, statum Sacerdotis confirmaret, cum enim haec iuramenta sint adhaerentia praedictis actibus, ex- ceptis, & firmis, perpetua etiam & illa sunt. Vide *Pelliz. tom. 1. man. Reg. tract. 5. cap. 10. n. 25.*

A quo.

3. Certum est in Summo Pontifice residere potesta- tem relaxandi iuramenta; quod enim pertinet ad bo- nam, suamque Ecclesiae gubernationem, maxime de- bet in eius capite residere.

6. Dubitatur primò, An sicuti certum est omnes Praelatos Ecclesiae jurisdictionem habentes (qui sine hi- usmodi *dist. inf. 1. cap. 16. §. 4. numer. 4.*) ex communi doctrina gaudere hac potestate respectu suorum subditorum: ita certum sit dari aliqua iuramenta uni Summo Pontifici reservata? Respondeo cum Sanchez *lib. 8. de matr. dist. 1. n. 7. & lib. 3. in Dec. cap. 5. n. 2. 1.* esse probabile dari aliqua reservata: afferri autem ad haec dignoscenda hanc regulam: illa iuramenta sunt Pontifici Maximo refer- vata, quae si fuissent voto promissa, ipsum votum fuisse Summo Pontifici reservatum. Quoniam ergo, ut *dist. inf. 1. cap. 16. §. 4. numer. 4.* dicimus, vota Papae reservata sunt communiter quique, nempe Castitatis perpetuae, Religionis, Trium- pergrinationum, Romanae ad limina Apostolorum, Compotellanae, & Hierosolymitanae, quando absolu- ta, & non sub poena, vel sub conditione sunt emissa; idem iuramenta his, votis, seu promissionibus addita, Summo Pontifici sunt reservata.

7. Sed certe aliqui docent etiam probabiliter, & tu- to sola vota de illis esse reservata, sed non iuramenta per- se tantia, id est, quae non adhaerent Voto, quale est hoc, *v. g. Iuro, (non autem voto) me Religionem ingressu- rum: Ita Layman lib. 4. tract. 3. cap. 1. n. 2.* dicentem putatum esse probabilem à Sanchez *lib. 2. in Dec. cap. 19. numer. 6. cit. se ipsum alibi lege etiam Pellizz. tom. 1. man. Reg. tract. 5. cap. 3. numer. 158. favet Bonac. tom. 2. d. 4. de iur. q. 1. p. 1. n. 9.* Ratio est, quia à diverso non fit boni- illatio; vinculum autem Voti est satis diversum, immo magis, ex S. Thom. 2. 2. q. 89. art. 8. quàm vinculum solius iuramenti: ergo, &c. Quare omnia iuramenta, ad quae modò *num. 1.* diximus extendi potestatem Superioris, pos- sunt dispensare Episcopi, eorum Vicarij saltem ex spe- ciali mandato, Capitulum, Sede vacante, & omnes, qui jurisdictione quali Episcopali potiuntur. Lege San- chez *lib. 3. in Dec. cap. 22. à num. 28.* & Castro Palaum *tom. 3. n. 14. dist. 3. de iuram. p. 4.* apud quos etiam habe- tur; quoad forum externum pertinere ad Episcopum lo- ci, in quo emissum est iuramentum, dispensare iura- menta homini praestita, (semper intellige juxta *superius dicta*, quoad vinculum Religionis) sed ita, ut necessa- rio praecedere debeat citatio partis; at quando debet dispensatio fieri in foro conscientiae tantum, non esse necessariam citationem partis, & tunc dispensationem pertinere ad Episcopum, in cujus dominio degit iurans qui dispensationem postulat.

Praeter illa quinque, alia quaedam iuramenta esse refer- vata docent aliqui, ut Azor. *p. 1. lib. 1. cap. 9. q. 4.* Sanchez *lib. 1. cap. 19. numer. 7.* quae cum sint rara, hic transcribere non est opus.

8. Dubitatur secundo: An qui habent potestatem dispensandi, vel etiam commutandi in votis, eo ipso in- telligatur habere potestatem dispensandi in iuramentis soli Deo praestitis, sive iuramenta sint voto accessoria, ut: *Voto, & iuro jejunium: sive nequaquam, sed sint per se tantia, & sine voto, ut: Iuro me cras iurum ad Templum, ad venandum, &c.*

Respondeo probabile esse intelligi, tam in potestate ordinaria, ex Basil. Pont. *lib. 8. de matr. cap. 11. numer. 1.* aliis- que, tum in delegata, ex eodem à *n. 4.* Suar. *tom. 2. de Relig. de voto, lib. 6. cas. 14. à num. 19.* Sà v. *Votum, de iur. voti, numer. 59.* qualem habere mox dicemus in foro interno Mendicantes. Ratio est, quia quamvis in rigore aliud sit vinculum voti, aliud Iuramenti, quare pote- stas solvendi unum, non est potestas solvendi aliud: ta- men quia iuramenta haec pia, seu soli Deo praestita, de quibus procedit haec doctrina, voti naturam induunt, & sunt multum voto affinia; existimantur in communi mo- do loquendi ut vota; ac propterea dans potestatem, seu privilegium solvendi unum, dare censetur & aliud: eo- dem modo posse dispensari iuramenta, quae principa- liter sunt facta in obsequium Dei, licet minus principa- liter ob utilitatem hominis, sive is acceptavit, sive non, dicam *infra, cap. 17. de Voto, §. 2.*

9. Dubitavit tertio; quisnam habeat ex Religiosis hanc dispensandi, vel etiam commutandi potestatem. Respondeo, privilegium dispensandi in votis etiam Epi- scopo reservatis (atque adeo in iuramentis soli Deo praes- titis, ex probabili opinione, modò *num. 7.* dicta) Mar- tinus V. concessit Benedictinorum Confessariis deputa- tis, atque adeo omnibus participantibus eorum privile- gia: sed nobis ex Societate sic illud restringit in *comp. priv. v. Dispensatio, §. 10. R. P. N. C.* extensius, hac facultas communicatur omnibus Superioribus, & aliis Confessa- riis, quibus ipsi eam commiserunt.

10. Privilegium verò commutandi concessum So- cietati (ut id hac occasione advertam) atque adeo par- ticipantibus ejus privilegia strictius est uno, benignius in alio; quàm sit praedictum privilegium dispensandi; concedit enim posse nostros commutare omnia vota, ex- ceptis illis quinque, & sic est strictius: sed ex Gregorio XIII. extenditur ad vota jurata, dummodo commu- tatio non fiat in praedictum tertij, & sic est benignius. Nec pater Generalis Soc. nobis hoc privilegium com- mutandi restringit, sic enim habet in *comp. priv. Soc. c. Comm. §. 1.* Communicatur hac facultas omnibus Con- fessariis approbatis juxta Conc. Trid.

11. Qui de iuramento homini praestito, in iis casu- bus, in quibus potest diximus *num. 7.* & 8. Episcopos, concediturne id relaxari posse ab iis, qui habent privi- legium circa vota jurata, hoc est, à Religiosis participan- tibus privilegia Soc.

Respondeo Negat Sanchez *lib. 1. de matr. dist. 32. numer. 17.* quia iuramenta haec sola, quae homini praestantur, nec sunt vota, nec voti rationem induunt. Sed certe probabi- lissimum est commutari à praedictis posse. Ita Trullench, Ledesma, aliique cum Pellizz. *1. 2. Man. Reg. tract. 8. c. 3. numer. 159.* Ratio est, quia dans privilegium commutandi vota jurata, concedit commutari posse duo vincula vo- ti, & iuramenti: ergo non est, cur negemus, concessam esse, posse illos commutare, quando adest, unum dum- taxat vinculum id est iuramentum. Quid enim tollit, vel addit illa conjunctio cum voto, si aequè sit sine ter- tij praedictio? Atque hinc fit, ut in casibus, in quibus tertius propter turpitudinem injuriae, metus, doli, &c. & in casibus, in quibus tertius nondum acceptavit, (un- de jus ex iustitia nondum acquisivit) possit hic privile- giatus ejusmodi iuramenta commutare: quia tunc com- mutatio nullo modo est in praedictum juris, quod ve- rē tertius habeat, ad quam commutationem privilegium extendit (ut modò diximus) Gregorius XIII.

12. Verum, poteruntne haec etiam dispensare? Re- spondeo cum in facultate dispensandi solum detur pote- stas circa vota, ut modò notavimus, non verò circa Vota

Vota jurata, difficilior est resolutio: nam propterea aliqui probabiliter negant, cum Sanchez lib. 8. de matrim. disp. 1. num. 23. apud Pell. l. c. num. 135. Dico tamen cum Suar. lib. 6. de voto, cap. 14. num. 6. citante Arag. Vivaldum, Rodr. & alios, probabile esse posse; & quidem, ut semper loquuntur, in foro interno. Ratio est *supra* tacta, quia, cum hæc juramenta, quamvis homini præstata, vinculum iustitiæ, ut supponimus, non involvant, habent solum vinculum ex vi Religionis, quod æquiparatur vinculo voti, immò, quod in rigore minus est, quam voti vinculum; atque adeo qui hoc voti vinculum dissolvere potest, non est negandum posse & illud. Nec obstat, quod, si ita esset, frustra Gregorius XII. potestatem commutandi vota extendisset ad vota jurata; non obstat, inquam, quia id factum est ad maiorem conscientie securitatem, ad scrupulos eximendos, & propterea, qui contrariam sententiam sequuntur, ut alibi in simili docuimus.

13. An civilis potestas aliquo tandem modo possit relaxare juramenta, vide apud Layman, lib. 4. tract. 3. c. 9. num. 9. & Doctores *supra* cit. cap. 3. §. 5. numer. 5. lit. D. aliosque ab ipso laudatos. Illud solum noto, si quando quis jurat aliquid in præjudicium Superioris, etiam secularis, posse hunc Superiorem remittere ejusmodi juramentum, seu potius illud non acceptare. Jurat quis, v. g. se non acceptaturum Officium Capitanei: potest Superior illum cogere, & post coactionem; poterit is non obstante juramento, acceptare: quia juramentum illud non potuit præjudicare potestati Superioris. Puto tamen non posse post illud Officium acceptatum, aliud sine nova coactione acceptare: quia illa non fuit juramenti relaxatio, quam non potest secularis expedire, sed fuit solum, pro illa vice, suæ potestatis usurpatio: an nihilominus acceptare sit culpa solum levis, dixi *supra*, cap. 3. §. 3. num. 10. cum Fagundez.

Ob quas causas.

4. Certum est adesse debere causam dispensandi, secus irrita erit, & nulla relaxatio, etiam si Summo Pontifici feratur: ita S. Thom. 2. 2. quest. 88. art. 8. Abbas cap. quanto, de jurejur. n. 8. aliique (excipe, nisi sit in materia ipsi relaxanti omnino subiecta, ut diximus §. 1. n. 1.) Ratio est, quia Summus Pontifex in legibus ab ipso latis valide quidem sine causa ideo dispensat (quidquid sit, an aliquando illicitè) quia ex ab ipso libere dependet: at vinculum voti, & juramenti ab ipso non dependet, cum de jure naturæ sit, vota & juramenta Deo esse reddenda: ergo non poterit valide sine causa dispensare, siquidem ipse dum dispensat, id facit nomine, & ex parte Dei: Deus autem relaxationem temerariam, & sine causa ratam habere nequaquam potest.

15. Difficultas igitur sola superest in explicandis his causis, quæ sint sufficientes ad hæc, ut Superior relaxet juramenta homini præstata in iis casibus, quos posse, *supra* diximus; nam de causis pro juramenti soli Deo præstitis, seu quando solum urget vinculum Religionis, innuam *infra*, §. 4. num. 12. & colligitur ex dicendis *supra*, cap. 16. §. 4. num. 10.

16. Ad lex reduci solent. Primò, quando adest turpitudine ex parte extorquentis juramentum, ut accidit, quando juramentum, metu, vi, dolo extortum fuit ipsa enim injuria sufficientissimam causam præbet relaxandi. Et quidem, si metus sit gravis, poterit ab Episcopo etiam in foro externo relaxari si levis, solum in foro conscientie: lege Sanchez ibique cit. lib. 3. in Dec. cap. 21. à num. 6. Secundò, quando adest dubium, an juramentum valeat. Vide Covarr. Regul. peccatum 2. p. §. 3. n. 7. initio; Vinc. Tancred. lib. 4. de matrim. disp. 20. num. 7. Tertiò, quando adest dubium, an cedat in injustam læsionem tertij. Quartò, quando est dubium, an ex observatione juramenti renascatur occasio, seu periculum peccandi. Quintò, quando juramentum est temerè, inconsideratè, vel ex ira dolorisve perturbatione factum; & in his quidem solvitur

ad effectum agendi à Superiore vinculum Religionis: at remanet videndum apud Judices, an jus Iustitiæ faveat alterutri ex partibus. Rectè autem id potest à Superiore fieri, quia pertinet ad Ecclesiam providere, ne jurans vexetur injustè. Castro Pal. tom. 3. disp. 3. de jur. p. 3. n. 4.

Dicendum est (quando est dubium) quia non raro in prædictis, quando res est, certa, nullum est, nec indigens relaxatione juramentum æquale est, si turpitudine sit ex parte materie jurata, si juramentum cedat in injustum tertij detrimentum, &c. ut ex *supra* dictis constat.

17. Sed quid agendum, quando causa dispensandi adest quidem; sed omnibus expensis, non est omnino sufficiens? Respondeo cum Sanchez lib. 3. in Dec. c. 19. n. 4. tunc intermiscendam esse commutationem, de qua *mox*, & *infra*, cum de voto; hoc est, non esse absolute juramentum remittendum, sed loco rei per juramentum promissæ esse aliquid boni operis injungendum juranti, magis, & minus juxta insufficientiam causæ, non mathematicè, sed morali modo prudenter expendendam, v. g. si certa, & gravis causa dispensandi juramentum de semel junundo: absolute Superior relaxet: si autem causa est mediocrius, ita relaxet, ut obliget jurantem ad aliquam, v. g. orationem recitandam; puta Coronam Beatæ Virginis, vel Officium Defunctorum, vel unum Miserere, &c. juxta proportionem insufficientiæ causæ, &c.

§. IV. De Commutatione.

1. Quando loco rei juramento promissæ substituitur, & habente potestatem aliud opus honestum, dicitur juramentum commutari. Potest autem substitui vel opus bonum majus, vel æquale, vel minus: & circa hæc querimus, quis commutare possit, quæ juramenta, ob quas causas.

Qui.

2. Non solum Pontifex, & Episcopus, cæterique, juxta dicenda cap. 16. §. 4. num. 4. jurisdictione Episcopali fructentes, sed etiam Confessarii, quibus id concessum est per privilegia, ut per occasionem diximus §. præcedentis num. 10. sub hoc nomen discrimine, quod Pontifex potest ea omnia, quæ *supra* §. 3. num. 5. diximus, ipsum relaxare posse: at Episcopus restrictior est hæc potestas, juxta *ibidem* dicta, Rursus Pontifex, & Episcopus, quia hanc potestatem ordinariam habent, possunt illam aliis delegare: quam non possunt Confessarii, quia ipsi solum sunt Delegati. Denique iidem Confessarii solum quoad forum internum: Pontifex verò, & Episcopus, etiam quoad externum.

3. Omnes autem, qui possunt dispensare, possunt & commutare: non contrà, quia dispensare est majus, quam commutare: cui autem conceditur majus conceditur & minus in eo majori contentum, cum tamen cui minus conceditur, non concedatur majus.

4. Dubitatur hic primò, An Confessarii electi per Bullam Cruciatæ possint juramenta commutare? Ratio dubitandi est, quia Bulla solum concedit commutationem votorum, de juramentis autem ne verbum quidem. Respondeo tamen posse juramenta soli Deo præstata, seu quæ solum afferunt vinculum Religionis: sic Francisc. Bardi de Bulla Cruciatæ, p. 2. art. 7. cap. 1. sect. 10. aliique *ibid.* cit. Ratio est, quia hæc æquiparantur votis, ut *supra* §. 3. num. 8. diximus, & probat fusè Suarez lib. 6. de voto cap. 14. n. 11.

5. Dubitatur secundò, An ipse jurans, aliquando possit sibi etiam sine causa commutare dictum juramentum soli Deo præstitum. Respondeo, posse in opus melius: sic Tol. Val. Bon. Sanchez. aliique apud Castro Pal. tom. 3. tract. 14. disp. 3. p. 1. n. 6. Ratio est, quia non dicitur promissum infringere, qui in melius illud commutat: ita Abbas communiter receptus apud Sylv. v. Juramentum §. quest. 6. Azor. tom. 1. lib. 10. cap. 10. q. 1. Immo probabile etiam est, in opus æquale: ita Bonac. tom. 2. disp. 4. q. 1.